Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 397
Quelle:
Copyright:

Orbis immenſi celebris creator
Arguas ne me, grauiter furenti
Bile, nec flammam ſtimulatus iræ
Corripe lapſum.
Rex mei Regum miſerere clemens
Virium robur quoniam receſſit
Saucio tollens animi dolores
Pharmacon adde. &c.

Autoris nomen in *Lelongii Bibl. ſacra* inter *Poetas Biblicos* non comparet, nec quidquam mihi de eo compertum.

CXLII. VIII. H. 12

741 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 24. 8. hoc Titulo eſt: *Septem Pſalmi Poenitentiales Elegiaco Carmine redditi. In Honorem Illuſtriſſimi Principis ac Domini Domini Rudolphi II. Romanorum Cæſaris, Hungariæ Bohemiæque Regis Archiducis Auſtriæ &c. Domini Sui Clementiſſimi. Authore M. Jacobo Ziegelio Monacenſi Anno ſalutis* M. D. LXXVIII. *Jacobum Zieglerum* Bojum *Landavienſem* norunt Eruditi, *Joh. Ziegelium Conſtantienſem* Poetam dedimus *Cod.* alio. En ὁμώνυμον, cujus Muſa non infimi ſubſellii ita orditur:

Alme meis patulas Deus arrige uocibus aures,
Ne uentis leuibus uerba dediſſe ferar.
Dura mei lapſus meruere flagella; ſed iræ
Rex quis iuſta tuæ fulmina ferre queat. &c.

Addendus igitur *Poetis Biblicis* in *Longii Bibliotheca Sacra* ὁμοχωρος hic meus, de quo apud Autores nil notatum reperio. Exemplum noſtrum non ejus manu exaratum complures errores arguunt.

CXLIII.

808 Codex chartaceus germ. Sec. XVI. Folior. oblongor. 31. 8. eſt Paraphraſis metrica *Pſalmorum* VII. qui vulgo *Poenitentiales* audiunt, dicata *Rudolpho* II. Imp. a *Matthia Spengl Carniolo Labacenſi*, hoc Titulo: *Paraphraſis Der ſiben Bueſspſalmen deſs königlichen propheten Dauids, mit etwas weitlaufftigerm verſtandts, in Reimen weiſs geſtelt: allen angefochtenen Gewiſſen — ſehr tröſtlich.* &c. E *vexatis*, quas hic memorat, *Conſcientiis* Proteſtantem arguo Autorem. Praemittit ille *Hexaſtichon* de Venia peccatorum, teſtibus Pſalmis, a Deo obtinenda; *Pſalmum* vero I. ita auſpicatur: